



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemerologivm Ecclesiastio-Rubricisticum Novum

Halden, Johann Baptist

Brixinæ, 1717

Titulus XV. De Dominica III. in Quadragesima, ac Ferijs infra Hebdomadem
III. Quadragesimæ occurrentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39937

TITULUS XV.

De Dominica III. in Quadragesima, ac Ferijs infra Hebdomadem III. Quadragesimæ occurrentibus.

DOMINICA III. in Quadragesima est Dominica Major 2. Classis, ac proinde eodem proportionaliter Ritu ac modo (tam quoad *Officium*, quam quoad *Missam*) celebratur, quod Dominica II. Quadragesimæ proximè præcedens.

Idem est de **FERIIS** infra Hebd. III. Quadrag. occurrentibus, quæ pariter, tam quoad *Officium*, quam quoad *Missam*, ad normam Feriarum proximè præcedentium celebrantur, exceptis his, quæ sequuntur.

FERIA II. Responsoria omnia post Lect. Nocturni, uti notantur in *PROPRIO* de Temp. Si in hanc *Feriam II.* incidat Festum S. Thomæ de Aquino, tunc Postcommunio pro SS. Perpetua & Felicitate, utpote coincidens cum feriali, est commutanda cum alia, adeoque sumenda ex *Missâ Dillexisti*, de **Communi Virginum tantum.**

FERIA III. Responsor. primum propr. 2. & 3. ex II. Noctur. Dominicæ præced.

FER. III. & Sabbatò ex III. Noct. ejusd. Dominicæ. Fer. V. ex I. Noct. FER. VI. ex II. Nocturno illiusmet Dominicæ.

Nota, quòd etiam si *Feriâ V.* hujus tertie Hebdomadæ Quadragesimæ dicatur in *Missâ* feriali Oratio de SS. Cosma & Damiano (ratione ac Titulo *Stationis* in eorundem Basilica Romæ) debeat nihilominus fieri de illis tanquam Martyribus Commemoratio in Laudibus, in ijs Ecclesijs, in quibus sunt *Patroni*, aut *Titulares*, inter suffragia consueta tanquam Titularium propriæ Ecclesiæ, atque etiam in Oratione *A Cunctis* in *Missâ*. Ità Gav. Tom. I. P. 4. Tit. 5. n. 15. Bauldry P. 4. c. 5. n. 3.

